

se nullum peccatum erat, ita ut Paulus ipse circumciderit Timotheum eadem ratione ductus ne illum Iudaei despicerent Act. XVI, 3. Deinde Petrus nihil dixit aut affirmavit, quo doceret iudaice vivendum esse: tandem opus per se non eo spectabat ut facto doceret iudaice vivendum esse, ac si non aliam interpretationem factum illud pateretur; nam et haec alia prona erat interpretatio: poterant nempe homines in eo facto videre oeconomiam quamdam Petri, qui se subduceret a gentibus non quia putaret legalia adhuc esse necessaria, sed ut per συγκαταβασιν Iudaeorum infirmitati prospiceret. Nihilominus Petrus, teste Paulo, καταγνωσμενος ἦν (καταγνωσκομαι non tantum *damnor* sed et *reprehendor*: participium vero, quod per se esset *reprehensus*, hoc perinde est ac καταγνωστος reprehensibilis, καταγνωσεως ἄξιος, ex hebraeorum scriptorum imitatione, qui fere destituuntur adiectivis dignitatem hominis significantibus). Reprehensibilis autem erat Petrus, quia non recte ambularet ad veritatem Evangelii, eiusque non recte factum *simulatio*, ὑποκρισις dicitur. Porro *non recte ambulare ad veritatem Evangelii* non est error contra Evangelii veritatem, sed est actio vel omissio quae non sit conformis doctrinae Evangelicae, quemadmodum est quodcumque peccatum. Simulatio autem dicitur actus quo quis aliud externa specie praebet quam vere intus habet. Ea est quoddam mendacium reale. At distinguenda est simulatio *formalis* et *materialis*. Illa est cum quis facto suo intendit aliis significare se animo gerere quod non gerit: haec est cum existente quidem causa aliquid faciendi, id tamen quod fit, propter circumstantias facti accipitur, invito agente, tanquam significans eum sensum animi vel intentionem eam agentis, quae reapse non est. Nihil est in verbis Pauli quo suspicari liceat Petrum peccasse simulatione formali, ut nimirum sciens legalia non esse necessaria voluerit tamen facto suo significare ea esse necessaria: quod quidem fuisset contra infallibilitatem magisterii eius; non enim tantum fides interior Petri indefectibilis erat, sed externum quoque magisterium infallibile. Fuit ergo tantum simulatio materialis. Haec autem cum ex causa quae videtur iusta adhibeatur, peccatum esse nequit nisi imprudentiae, quatenus nempe non satis perpendantur effectus consecuturi, et ita quis se periculo exponat praebendi occasionem aliis iudicandi aliter de sua sententia ac reapse sit. Quare peccatum Petri, si quod tamen fuit, (cum enim id ex habitu mentis penderet, de eo nec Paulus iudicare cum certitudine poterat) in eo fuit quod id quidem agens, quod per se malum non erat nullaque lege interdictum, non satis consideraverit, quid alii secus ac ipse vellet, fuissent inde deducturi. Verum huiusmodi culpa, etsi talis censeatur, non ea est propter quam Petrus aut errasse in fide, aut

dignitate supremi magistri caruisse credatur. Quare Paulus ipsum corripuens non nisi eiusdem Petri auctoritatem adhibet, ut non error quidam mentis, sed quaedam imprudens inconsideratio fuisse videatur.

At 3) huiusmodi facto evidenter se prodit Petri Primatus. Quamvis enim Paulus *verbis doceret* non esse opus iudaizare, Petrus autem *solo conversationis exemplo videretur docere* esse iudaizandum, hic tamen ceteros ipsumque Barnabam *cogebat*, non tantum alliciebat, iudaizare. Unde tanta efficacia exempli taciti Petri ut praevaleret doctrinae praedicantis Pauli, nisi ex eo quod ab omnibus Petrus potior Paulo habebatur, eiusque auctoritas suprema esse in Ecclesia credebatur? Quare qui negat Cepham, de quo hic Paulus loquitur, esse eum, cui Christus dixit: *tu vocaberis Cephas* (quae quidem sententia a contextu prorsus abhorret), rationem sufficientem afferre debet huius facti, quam nunquam reperiet; quod iam Chrysostomus homil. inferius citanda n. 15. advertit inquit: « si quispiam alius Petrus fuisset (quae erat opinio Clementis Alexandrini), non tantum valuisset eius mutatio, ut ceteros etiam Iudaeos attraheret. Neque enim adhortatus est neque consuluit, sed tantum subtrahebat et segregabat se; atque illa subtractio et segregatio ceteros omnes discipulos attrahere potuit *propter personae dignitatem.* »

Interpretatio Patrum hac in re doctrinam catholicam confirmat. In eo enim Patres toti sunt ut Petri excellentiam prae Paulo in tuto collocent, ostendantque reprehensionem Pauli non adversari dignitati Petri; quamvis non eadem via in eundem scopum omnes Patres tendant. Cf. Clemens Alexandrinus relatus ab Eusebio H. E. L. I, c. 12. Chrysostomus hom. in illud: In faciem Petro restiti. Hieronymus L. I. in epist. ad Galatas II, 12. et in epistola ad Augustinum hac super re data, quae est LXXV inter Augustinianas, August. in epist. ad Galatas et epist. LXXXII.

#### THESIS VI.

*Dignitate Apostolatus breviter adumbrata docemus extraordinariam potestatem singulis Apostolis communem non prohibuisse quominus Petrus inter Apostolos excelleret, primatuque iurisdictionis in ipsos quoque gauderet.*

I. Apostolatus tum laxiore tum pressiore significatione sumitur. Nunc hac altera accipitur. Intelligimus scilicet eos Apostolos, qui primi fuerunt, per quos Ecclesia universa fundata est; seu qui in Evangelio Apostoli nominantur, quique iis sunt pares.

Apostolatus dignitas his notis continetur, quae sunt 1) munus et potestas evangelium ubique terrarum promulgandi: 2) potestas iurisdictionis ubique terrarum, potestas scilicet fundandi Ecclesias, instituendi Episcopos, potestas legifera, iudiciaria, vindicativa erga omnes (praeter ipsos Apostolos) quoad quaslibet eorum causas: 3) infallibilitas magisterii: 4) immediata missio, sive potestas praedicandi et potestas iurisdictionis immediate facta a Deo: 5) potestas suprema ordinis, sive gradus Episcopalis, quae necessaria erat ut munere Apostolatus fungerentur plene et perfecte. Non convenit tamen inter omnes circa has notas Apostolatus. Primas tres cuncti concedunt: satisque patent ex Ecclesiae constanti sensu.

II. Quaestio est tamen quoad alias notas. Immediatam missionem essentialem esse notam Apostolatus negat Petavius (de Eccl. Hierarch. L. I, c. 5) hac quidem ratione motus, quod veri et primarii Apostoli fuerint Matthias et Paulus; neuter tamen sit immediate missus a Christo, quo iam mortuo profecti sunt in Apostolatum. Verum ad Matthiam quod spectat verissima est animadversio Bellarmini (de Rom. Pont. L. IV, c. 23): «Matthiam Apostolum non fuisse ab Apostolis electum, nec datam ei ullam auctoritatem, sed implorata divinitus et impetrata electione eius, mox inter Apostolos annumeratum»; quo argumento Bellarminus probat Apostolos a Christo iurisdictionem omnem accepisse. Et sane aliud est designare aliquos, qui mitti possint, relicta alteri potestate mittendi aliquem ex his, vel etiam nullum, si velit; aliud est mittere collata auctoritate: primum Apostoli erga Matthiam et Barsabam praestiterunt; qui quamvis duos constituerint, et oraverint ut Deus ostenderet quem elegerit *ex his duobus*, censendi sunt tamen divino arbitrio permisisse quoque utriusque reiectionem, nisi ipsis iam divina voluntas constiterit eius conditionis manifestatae a Petro pro substituendo alio in locum Iudae; et in nullo alio ea conditio habuerit locum, qua in hypothesis res omnis adhuc pendebat a divina voluntate. Alterum vero Christus praestitit regendo divinitus sortes, quibus sua voluntas manifestata est erga Matthiam. Unde Deus dicitur esse qui elegerit, et imploratur ab Apostolis tantum manifestatio huius divinae electionis. Qui quidem modus specialis agendi adhibitus ab Apostolis tantum in electione Matthiae satis ostendit persuasum fuisse ipsis non esse in sua potestate conferre alicui dignitatem eam Apostolatus, qua ipsi insignes erant. Nec ut quis a Christo mitteretur opus erat ut a Christo in terris degente potestatem acciperet: Christus enim idem in terris et in caelo, heri et hodie. Forte probabilius posset dici Christum voluntate absoluta decrevisse duodecim esse Apostolos, cum eos elegit, quae voluntas perseveravit quoque excidente Iuda: vi proinde huius

Christi voluntatis designatum Matthiam obtinuisse Apostolatum, h. e. iure divino factum esse Apostolum succedendo in locum Iudae.

Ad Paulum quod spectat, satis aperte sunt verba ipsius ad Galatas I, 1. *Paulus Apostolus non ab hominibus ουκ ἀπ' ἀνθρώπων, neque per hominem ουδε δι' ἀνθρώπου, sed per Iesum Christum:* quibus excluditur non tantum missio quae sit ab homine, sed et ea quae sit a Deo mediante homine, asseriturque immediata missio a Christo; a quo et immediate edoctus fuit, ut ibidem testatur inquisiens: *notum vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Iesu Christi.* Unde ut ostenderet Galatis se non accepisse auctoritatem a Petro vel aliis Apostolis, monet quod statim ac vocatus a Christo fuit ut evangelizaret illum in gentibus, non venit Ierosolymam ad suos antecessores Apostolos sed abiit in Arabiam, et iterum reversus est Damascus ibid. 15, 17. in qua civitate Christum praedicabat antequam veniret ad Petrum Act. IX, 19. 22. Potestatem ergo praedicandi immediate Paulus accepit a Christo: cur non ergo et potestatem iurisdictionis, cuius pars est potestas praedicandi, quaeque propria est Apostolatus, dicat autem se Paulus Apostolum esse non ab homine, neque per hominem; et praeterea ipse rursus affirmet quod sibi Apostoli nihil contulerunt Gal. II, 6. contulissent autem multum si illi vel per se vel per alios potestatem Paulo dedissent iurisdictionis.

Certum sit ergo Apostolos primarios, quosque ut tales Ecclesia reveretur, missos esse immediate a Christo, secundum Christi verba Ioan. XX, 21. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Et sane Apostolus idem est ac missus: Apostolus in Ecclesia nullus est nisi missus a Christo fundatore et capite Ecclesiae suae: qui autem *κατ' ἐξοχην* Apostolus dicitur is *immediate* a Christo missus sit oportet; secus nulla est ratio cur prae ceteris hoc nomine veluti proprio honestetur.

III. Quoad ultimam notam, certum quidem est omnes Apostolos fuisse Episcopos; certumque pariter est gradum episcopalem eis fuisse necessarium ut munere suo fungerentur; quomodo enim Ecclesias fundabant si non poterant Episcopos, presbyteros, aliosque ministros instituere? At quaestio esse potest circa modum quo Apostoli ad Episcopatum evecti sunt. Quidam enim censent eo ipso fuisse Episcopos quo et Apostoli erant, ideoque immediate a Christo factos fuisse Episcopos sicut et Apostolos, sive in ipsa dignitate Apostolatus contineri essentialiter Episcopatum. Secus Bellarminus censet, qui loco superius citato, ratione etiam habita argumentorum quae pro-

ducit, docet Apostolos omnes immediate a Christo institutos esse, at contendit simul (Op. cit. L. I, c. 23) unum Petrum a Christo ordinatum Episcopum, ceteros Apostolos a Christo per Petrum; ideoque Apostolatium quidem ut plene exerceatur postulare Episcopatum; at posse esse aliquem iam Apostolum quin sit adhuc Episcopus, et proinde non esse inseparabilem atque hoc sensu essentialem Episcopatum Apostolatui. Quod quidem probat duplici argumento. Primum ducitur ab exemplo Pauli qui immediate electus est Apostolus a Christo, et tamen deinceps Episcopus non erat, sed post undecim annos ordinatus est. Act. XIII, 1-3. (cf. Patrizi Comm. in Actus in h. l. et in Chronico). In quo argumento illud advertendum putamus, certum nobis esse quod Paulus a Christo non acceperit immediate characterem episcopalem, quemadmodum nec characterem baptismi acceperit; at dubitare nos an tunc, cum ea acciderunt quae narrat Luc. XIII. fuerit Episcopus ordinatus. Nam 1) quinam illum ordinarunt? prophetae et doctores; quos tantum nominat Lucas: hi ergo erant Episcopi, saltem ii qui dicuntur doctores qui iidem videntur fuisse ac pastores ex Eph. IV, 14. At inter eos a Luca simul cum aliis, nullo discrimine facto, enumerantur Barnabas et Saulus; igitur et hi iam Episcopi erant. Et sane 2) si illi prophetae et doctores cuiusmodi erant Simon, qui vocabatur Niger, Lucius Cyrenensis, et Manahen iam fuerant Episcopi ab Apostolis ordinati, cur putabimus ab iisdem nondum fuisse Paulum ordinatum Episcopum, quem iam noverant Act. IX, 27. 28. Gal. I, 15. vocatum a Deo ad Apostolatium? 3) Verba Lucae XIII non postulant ut ea interpretemur de ordinatione sacra, eaque episcopali. Spiritus enim Sanctus dixit illis prophetis et doctoribus ministrantibus Domino et ieiunantibus: *segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos*. Tunc illi ieiunantes (cum ieiunassent) et orantes (cum orassent) imponentesque (et cum imposuissent) eis manus dimiserunt illos *ἀπελυσαν* (li lasciarono andare). Et ipsi quidem missi a Spiritu S. abierunt Seleuciam, etc. Porro opus, ad quod Spiritus S. eos assumpserat, ut ex sequentibus patet, illud erat, ut extra Antiochiam aliis populis et gentibus praedicarent Evangelium. Ad hoc opus segregandi erant, h. e. discernendi erant ab aliis Antiochiae manentibus, et ad illud opus ipsi dimittendi, sicut reapse dimissi sunt. Si ita accipiantur haec verba, nec ulla apparet repugnantia ut accipiantur ita, ibi non fit sermo de ordinatione episcopali quam iussi sint illi conferre Paulo et Barnabae. Neque id evincitur ex illo ritu impositionis manuum (*imponentes eis manus ἐπιθεντες τας χειρας αὐτοῖς*) nam quamvis iste ritus sit ritus ordinationis, non tamen fuit tantum ritus ordinationis; sed et fausta precantium et benedicientium ritus erat. Liceat

ergo nobis arbitrari Paulum ordinatum fuisse Episcopum tum cum Ierosolymam veniens Petrum adivit, qui eius divinam missionem, testante quoque Barnaba, recognoscens, episcopalem gradum ei contulerit, ut posset plene et perfecte fungi ministerio suo. Ex his tamen satis constat non ita esse essentialem episcopatum Apostolatui, ut eo ipso quod quis Apostolus est, sit quoque Episcopus; quamvis episcopatus necessarius sit Apostolo, ut totam potestatem, quam in Apostolatu accepit, in qua certe est potestas fundandi Ecclesias, plene et perfecte, h. e. integre per se ipsum exercere possit. Unde liquet, ut id obiter moneamus, distinctio inter potestatem ordinis et iurisdictionis. Probabilis est ergo ea opinio, veterum quorundam etiam traditione firmata, quod Petrus a Christo ordinatus Episcopus ceteros Apostolos ordinaverit. Aliud argumentum Bellarmini penes eundem conferatur; nobis enim hactenus dicta in hoc *παρεργον* sunt satis.

IV. Doctor Langen (l. c. §. 6. ubi agit de relatione Petri erga alios Apostolos) statuit primum id esse certum quod Petrus super Apostolos habuerit primatum. Verum cuiusmodi fuit? Profecto eius notionem, ait, perperam colliges ex eo quod Petrus fundamentum sit Ecclesiae, quod habuerit claves regni, quod ipsi commissus sit grex pascendus; nam haec ceteris Apostolis communia fuerunt. Et sane ipse Petrus se omnibus pastoribus gregis appellat *συμπρεσβυτερον* (epist. 1<sup>a</sup>. V, 1<sup>a</sup>.); locutus est quidem aliquando nomine aliorum, sed id fortasse ex eius fervido characterem repetendum est. Attamen certum est Petrum habuisse Primatum, quod ex historia temporis apostolici liquet. At qualis erat iste Primatus? Non is certe ut Apostoli subiecti essent Petro; nam de hac subiectione Scriptura non loquitur; imo Paulus se parem facit Petro in Apostolatu, ac negat se ab eo accepisse potestatem, ab eoque dependere; imo oppositum significat Petrum reprehendens Antiochiae. Omnes scilicet Apostoli pari praediti erant potestate, omnibus eadem missio communis; omnes essentialiter aequales. Igitur Petrus non erat nisi *primus inter pares*. Id deinceps confirmat §. 10. ex doctrina Patrum, quam postea expendemus. Nunc ad Scripturam quod spectat huc redit argumentum huius Doctoris. Constat ex Scripturis Petrum habuisse Primatum inter Apostolos, constat quoque ex Scripturis Apostolos omnes fuisse pares: ergo Petrus non fuit nisi primus inter pares.

Verum 1<sup>o</sup> negamus constare ex Scripturis quod Apostoli fuerint pares Petro in omnibus: fuerunt quidem pares in Apostolatu eo quod omnes pariter primi fuerint missi immediate a Christo ad omnes gentes; at Petrus erat praeterea Petra Ecclesiae, habebat claves huius regni, erat confirmator et pastor totius ovilis; quam male

autem ex Scripturis demonstratur fuisse haec communia ceteris Apostolis ostendimus et in prima Thesi, ubi fecimus satis Protestantibus arguentibus ex Scripturis, et in secunda et tertia ubi ostendimus dignitatem confirmatoris fratrum in fide ac pastoris totius ovilis Christiani collatam esse Petro, ipsiusque propriam esse. At nunquam, ait, in Scripturis Apostoli dicuntur subiecti Petro? si quaerit in Scripturis haec ipsa verba, id concedimus; at quid inde? an forte reperit scriptum quod Petrus sit primus inter pares? Porro si rem ipsam quaerit; nonne qui Petrae Ecclesiae inniti debet, qui ab eodem confirmandus est, qui in Ecclesia quidem est sed non habet claves, non est Pastor totius ovilis, is debet esse subiectus illi qui est Petra, Confirmator, habet claves regni et est Pastor omnium? Paulus vero se parem quidem facit Petro in Apostolatu, at id non excludit Primatum Petri, nec eius reprehensio id suadet ut iam vidimus.

2<sup>o</sup> Dicimus quod si Primatus Petri ex Scripturis constat, ut ipse Dr. testatur, constat pariter Primatus iurisdictionis. Nam unde probat id ex Scripturis constare? ex historia scilicet Apostolici temporis. Nam iam Matthaëus Apostolos recensens Petrum appellat primum. Tum Petrus dirigit electionem Matthiae, primus die Pentecostes docet, et huiusmodi quae prostant in Actibus Apostolorum. At primo quis non miretur Primatum Petri probari non ex verbis Christi ad Petrum, quibus certe dignitas Petri contineatur oportet, sed ex quibusdam narrationibus quae non nisi aliquod exercitium illius iuris quod Christus Petro concessit repraesentare possunt? Si verba Christi dicta ad Petrum Primatum eius non ostendunt, quia ut adversarii aiunt, in Petro dicta sunt omnibus Apostolis ideoque exhibent potestatem omnibus Apostolis communem; cur eadem adhibita interpretandi lege non licebit affirmare quidquid egit Petrus id ab eo ita esse peractum ut ex aequo potuerit fieri a quovis alio Apostolo, ipsumque aliorum nomine egisse, et veluti ab ipsis delegatum, quemadmodum suadere videtur eiusdem missio Samariam? At Matthaëus ipsum appellat primum. Id profecto docere debebat istum doctorem quod Primatus Petri demonstratio pendet ex verbis Domini ad Petrum; et quia his verbis potestas Petro promissa et collata significatur, Primatus proinde Petri non eo redit ut sit primus inter pares sed ceteris auctoritate praeemineat. Sane Matthaëus haud obscure significat cur Simonem vocet primum, quia nempe est Petrus: *Primus* ait, *Simon qui dicitur Petrus*; ratio ergo eius primatus est in eo quod dicitur Petrus. Quaerenda est itaque significatio huius appellationis; at eam ubi reperies nisi penes eundem Matthaëum XVI in verbis Domini? Ex his igitur Primatus Petri colligendus est. Porro

ibi non de aliquo simplici honore sed de auctoritate et iurisdictione sermo est: ergo si Primatum Petrus obtinuit, Primatum obtinuit iurisdictionis.

3<sup>o</sup> Nec felicius est iste Doctor in afferendis auctoritatibus Patrum (§. 10), ex quibus, ut ipse ait, illud efficitur quod Petrus fuerit *primus inter pares, nihil plus et nihil minus*. Profertur primo loco testimonium Cypriani quod iam expendimus in 1<sup>a</sup> Th. pag. 276. Ex interpretatione quam dedimus verborum Cypriani satis constat quam inepte ad eum provocetur. Sed ut magis pateat inscitia arguentis hanc libet addere animadversionem. Quinam est scopus Cypriani cum provocat ad verba Domini Tu es Petrus etc. institutionemque Primatus? nempe ut ostendat ex Christi institutione unum esse sicut in universa Ecclesia, ita in singulis Ecclesiis cui ab omnibus parendum sit; et hinc oriri haereses et schismata quia haec dominica institutio non servatur. Itaque iuxta nostrum doctorem haec est argumentatio Cypriani: Unus est ex Christi institutione cui omnes subesse debent, nempe Episcopus; nam Christus Petrum constituit primum inter pares. Optima certe argumentatio ex qua oppositum prorsus consequitur; nam primo a paribus nulla subiectio debetur. Eadem ratione ait accipienda esse verba Optati, eaque sunt quae dedimus in 1<sup>a</sup> Th. pag. 271 seq. Intelligenda quidem sunt quemadmodum nos demonstravimus intelligenda esse verba Cypriani; at si secus ea vis intelligere de quodam primatu honoris tantum, primo quomodo id demonstras? frustra vero penes hunc Doctorem huius rei demonstrationem requiras; sufficit ei forte quod verba Optati ita possint accipi. Verum possunt ne reapse accipi hoc pacto? loquitur S. Optatus de cathedra episcopali: cathedrae autem episcopalis nomine aetate certe Optati intelligebatur cathedra auctoritatis et regiminis: hanc cathedram singularem Petri statutam esse docet ut unitas ab omnibus servaretur; est ergo haec cathedra principium unitatis: at principium unitatis in societate, cuiusmodi est Ecclesia, quid est nisi auctoritas? porro huic cathedrae ipsi Apostoli adhaerere debebant ut futuri fuissent schismatici, si contra eam collocassent cathedram suam: at schismaticus in Ecclesia quis unquam reputatus est nisi qui se subtrahit a debita subiectione Pastoribus? loquitur ergo Optatus de cathedra potestatis cui ipsi Apostoli subesse deberent: Primatus proinde qui Petro asseritur non is est tantum quo primus ipse sit inter pares. Producitur quoque testimonium Leonis M. ex serm. IV in natali suae assumptionis: ubi dicitur quod etsi in populo Dei multi sint sacerdotes (perperam interpretatur hic doctor Priester; intelliguntur enim Episcopi) multique pastores, omnes tamen proprie regit Petrus quos principaliter regit et Christus. An qui regit proprie alios est solum